

3313. Sub. Bunderlis Seb. Suppl. I.

ORATIO AD SALVTANDAM ILLVSTRIS
 simam Principem & dominā, dominā MARIAM
 Archiducissam Austriae, Ducissam Burgundiae,
 Brabantiae. &c. Principē Castellae Legionis
 Granate. &c. Spōsam designatā LVDO/
 VICI Vngariae, Bohemiaeque Regis
 serenissimi. &c. Nomine florētis/
 simi studii Viennēsis Panno/
 niae, per Sebastianū Bun/
 derliū, ibidem Col/
 legam habita.



IOAchimi Vadiani POetae Laureati
 in Bunderlii Salutationem.

Et legi, & dulcis placuit mihi uerna legenti,
 Bunderli, Phœbi, Pegasidumque decus.
 Quam tibi laudanti terrestria numina, Musæ
 Et faciles linguæ contribuere Dei.
 Magna quidem Mariæ laus est, sunt magna parentum
 Nomina, & inuicti quem colit orbis Aui.
 Non tamen aut breuius poterat, aut rectius ullus
 Orator rerum pondera tanta sequi.

Szechenyi Suppl. I. 92.

1578.4

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO

domino Claudio de Pontallyer, & domino de
Flagit, illustrissimi principis Caroli, cubicu/
lario, SEbastianus Bunderlius.
Salutem dicit.

DESIDEraſti iterum atq; iterum magnifice Baro, Ora-
tionem quã in aduentu illustriſſimæ principis MARIAE
habuimus, tibi deſcriptã traderemus. In qua re ut cumu-
latius deſiderio tuo ſatiſſaceremus, operã dedimus, quo,
ea typis ſtanneis excuſſa, in ſexcenta exemplaria diſſun-
deretur, rati id, & tibi & cæteris aulicis gratũ futurũ eſſe,
ubi ſi forſan inter legendum mouearis, quod nimis frigide
& oſcitanter, tantorũ principum (quorũ meminimus)
laudes perſtrinxerimus, id tu partim ſubitario huic & in-
opinato ſalutandi muneri, ac ſere, tumultuarie nobis de-
mandato tribuas, partim uero tibi cæteriſq; multis, quo-
rum frequẽti hortamine impulſi, id deinde nobis ſublaturũ
eſt (quod multos factiſſe & erudiſſimos quidẽ cõſtat)
ut eam digeſtam copioſiorẽq; publicaſſemus, ſed utcũq;
ſit, hanc tibi quantũuis ieiunam offerimus dedicamuſq;
ſpe freti ampliffima, tu, pro tua in me humanitate & be-
neuoſentia (quã non uulgari argumẽto declarafſti) noſtrũ
laborem ſis ſerena fronte ſuſcepturus. Vale, & me quẽ
admodũ ccepifſti, tuo fauore ſoue. Vienna: Pannoniæ ex
Collegio Principis. M. D. XIII.



Dueniſſe tandẽ, hũc deſideratiſſimũ diẽ
& niueo lapillo ſignandũ, quo, poſt lõ-
gam peregrinationẽ hãc urbem Vien-
nam, ſplẽdidiffimo comitatu, & optata
ualetudine inuiſeres, Maria omniũ quas
cellus ſuſtinet nobiliſſima illuſtriſſimaq; princeps. Id eam
nobis & uniuerſæ Auſtriæ congratulãdi plaudẽdiq; ne-
ceſſitatem imponit, ut uel primario & cõſummatiſſimo
oratori tam affluentem dicendi copiã dari poſſe nequaquã
credam, qui ſi centũ ora habeat, totidẽq; linguas, cõmu-
nem illam & inſuetã noſtrã lætitiã uerbis, quẽadmodum
par eſſet, cõſequatur. Ita etenim gaudemus, ita lætamur,
ita exultamus, ut omniũ noſtrarũ rerum pene oblitũ hoc
ſolum meditamur, id cogitamus, ad hoc ſummã noſtram
curam, ſtudium, laboremq; impẽdimus, quo eo plauſu te
exciperemus, ut intelligeres, poſt diui MAXimiliani ſeli-
ciſſimum nuper ad nos aduentum, nihil proſuſ ex omni
rerum mortaliũ copia, nobis obuenire potuiſſe, uel cari-
us uel optabilius, quã ut te preſentẽ aſpiceremus, uene-
raremur admiraremurq;. Idq; tanto iuſtius, q; ex ea ſplen-
didiffima patria, ad quã modo ſuperum benignitate ap-
pulifſti, originem trahas, & ex illa quidem nobiliſſimorũ
principũ ſerie, qua ſub ſole neq; maior alia, neq; illuſtior,
neq; famigeratior unq; fuit, ſiue familiæ uetuſtatẽ ſiue uir-
tutes, ſiue inclũta domũ militiarũq; geſta intueri uelis. Inde
etenim prodire, toto orbe notiſſima belli fulmina, AL-
berti. ERneſti. OTtones. LEopoldi, HENrici. RVdol-
phi. FRiderici, quorũ illuſtria facta hoc loco potius ad-
mirari, quã recensere (tanta illorum magnitudo eſt) con-
ſentaneum exiſtimamus. Per hos magnanimos principes

familia tuæ celebratissimæ stirpis uoluentibus annis du-
 cta, ad diuum MAXimilianū tandem perlata est, quem
 immortales Dii hoc potissimū tēpore & esse & guber-
 nare uoluerūt, cum ob uarios ac fluctuantes hominū ani-
 mos, eo Imperatore opus foret, in quo ueluti quodam si-
 mulachro omnes he artes, omnes uirtutes, reperirentur,
 quæ in optimo absolutissimoq; p̄cipe desiderari possūt
 Nam si prudentiā requirimus, quā pleriq; in principib;⁹
 primam esse autumant, ita cumulatim in nostro Impera-
 tore cōtemplari licet, ut quā in hac uirtute maximū habet-
 tur, omnīū gerendaz rerum seu pace, seu bello, ueluti qui-
 dam diuinus uates & initia & exitus multo antequā eue-
 niant, prospiciat quā sagacissime. Si iustitiam uolumus,
 quæ ceterarū omniū regina atq; domina est, & sine qua
 nulla societas, nulla respublica, nullū imperiū diu subsistit
 eam sic est complexus, ut nihil profusus agat, quod nō ue-
 luti in librili perpensum prius quādiligentissime, arbitra-
 ri possis. Quid de liberalitate, & munificētia dixerō, quæ
 uirtus in illo sibi domiciliū & perpetuas sedes locasse pu-
 tari potest, laudatur plurimū Cyrus: laudantur item alii,
 ob hanc uel solam uirtutem, at in eo laudis genere, tantū
 ceteris omnibus præstat Cæsar noster maximus, quantū
 inter dumeta pinus, & ante citos quantum pegafus ibat
 equos, hoc sibi tanq̄ peculiare iter ceteros principes om-
 nes uēdicat, quod a Tito sæpe repetitū aiunt, ad eum qui
 reliquis mortalibus dominetur attinere, ne quenq̄ ab se
 tristem mcestumq; abire sinat, tanta in eo clementia, tāta
 facilitas, tanta comitas, tantā munificētia. Quantū uero
 fortitudine ualeat, documenta adhuc iuuenis forti stre-
 nuazq; manu dedit, ut ea in tenera ætate præriperet, quæ

& si toto sequēte æuo confecisset, perpetua gloria & im-
 mortale nomē sequutū fuisset, Nouerūt hoc Eburones,
 nouerunt Sicambri, nouere Galli, Bataui, Morini, nouit
 subinde totus orbis, nam ut paucis quæ huc & ad milita-
 rem gloriam attinent, complectar, reuoluamus a mundi
 primordiis si libet bella, colligamus insigniter gesta strate-
 gēmataq; neminē reperiemus qui belloꝝ magnitudine,
 præliosꝝ numero, uictoriaꝝ uarietate, cōficiendi celerita-
 te, mentis amplitudine, pertinacia in rebelles, clementia in
 subditos, cum diuo Cæsare nostro conferrī queat, ut mihi
 hoc loco canere libeat. Hic est ille MAXimil. quo nihil
 maius meliusue terris, fata donauere boniue Dii, nec da-
 bunt quis redeant in aurum tēpora priscum. Ab hoc Im-
 peratore Maximo potētissimoq; P̄hilippus parēs tuus
 serenissimus genitus qui & ipse ueluti aliquod micantissi-
 mum sidus inter ceteros principes resulsit, & unde tuis
 maioribus plus gloriæ accessit, q̄ uel dici uel cogitari
 queat, erat etenim is unicus princeps omniū, qui sub cœ-
 lo uiuunt præstātissimus ornatisimuscq; in quem cuncta
 naturæ & fortunæ munera ita confluerant, ut nihil re-
 staret, quod ad principis gloriā amplificandā superi ad-
 dere potuissent, Nam præter nataliū splendorē summū
 & heroicam proceritatē habebat quandā tacitam & diu-
 nitus insitam uim ut omnes reges, principes, populi, na-
 tiones, incredibili amore illū prosequerētur, ac ab isdem
 ueluti quoddam in terris numē haberetur uenerareturq;
 hanc apud cunctos mortales gratiā, in eo auxerant co-
 mitas, modestia, si les, mansuetudo, cōstantia, ceteraq;
 Imperatoriæ uirtutes quas a suo parente MAXimiliano
 Cæsare inuictissimo didicerat, & quibus breuiffecit, ut

quom toti orbi admirationi esset, multi populi externi et potentissimi permoti: & se & sua regna in illius fidem tradidere, rati id quod & sequutū erat se sub illius imperio aurea sæcula uicturos, sed excurreret oratio in immensum opus si horum parentis inq̄ imperatoris & filii regis ornamenta omnia persequi uellem nec si tempus & locus conuenirent huic prouinciae par forem, tãto progenitore, tanto rege, tanto principe, fata es: tantaq; paternae stirpis origo: tibi a superis est cõcessa. Sed nec minore quantū ad maternum genus attinet descendis: Nam ut ceteros innumeros Arragonie reges præteream ad Fernandum uictoriosissimū principem & tibi auum maternū oratio flectēda est, quãdo sine piaculo silentio illū nō trãsirem. Is etenim ut per capita uirtutes & res gestas attingamus, nulli maiorum suoz uel felicitate, uel potentia, uel uirtute est secundus, & in quo præcipua principū decoramenta, religio in quã ac rei militaris disciplina renitēt, quibus duabus rebus id modo nactus est, ut longe lateq; terminos sui imperii cū maximo Christiani nominis incrementō gloriaq; propagaret. Nam ut ex ingenti rerū aceruo pauca huius rei argumēta adducā. Cum granate regnū quod Beticam nomināt ferme ad septingentos annos a Sarracenis Christiane religionis hostib; atrocissimus occupatum fuisset, & nequicq; a maioribus suis arma cõtra illos identidem sumpta, tandē Fernãdo ea felicitas adfulsit ut parua manu illos superaret, superatos toto regno submo ueret propelleretq;. Vnde illorū erronea secta usq; adeo fracta cõtusaq; fuit ut Christianis principibus relique Sarracenicæ gentis tota Affrica subuertēde ansa opportunissima esset. Sed & precipuo id preconio dignū est q; pseu-

do Christianos quos Maranos uocāt eiecit, & simul eos qui cum religiose uitæ addicti essent citra tamē suas normas & instituta uitã per scelera & flagitia ducerent, inde quisq; facile cõiectare potest, quã diligens, q̄ sedulus & q̄ sincerus sit religionis nostre amator defensorq;. Adde q; illius felicissimi regis auspicio, noua Insulæ, noua loca, noua terræ sunt reptæ a priscis omnibus ignorate, huius etenim ductu nauæ nouū pelagus ingressi, usq; ad peræcos nostros penetrarūt, ubi qui antea in tenebris ambulabant, modo in uera salutiferaq; fide Fernando duce instituitur, sic auctum Hispaniæ dominiū, sic gloria aucta, sic tota Christiana religio quã latissime & aucta & diffusa. Accedit ad illius sclicitatem summam q; coniugē haberet reginarum omniū decus Helisabetã, & quæ secum ex æquo regni negotia grauissima quæq; administraret, huic etenim animus erat uirilil & domi & militiæ paratus, ut quantum in muliebri sexu esset regis uirtutibus ex omni parte respõderet, quo factum est, ut uulgo eam Hispanicæ quietis ac religionis matrē nuncuparēt. Hi quom diu sanctissimæ simul uixissent, ac immatura morte filiū summa indole & spe plenum amisissent, iacturã tantam in filia Ioanna matre tua nobilissima rependerūt, eamq; Philippo parenti tuo serenissimo desponsarūt, fama & celebritate tanti principis, quæ usq; ad ultimas occidentis terras penetrasset, inducti, nec sua spe frustrati sunt, quippe ex illo secundissimo coniugio, nepotes nati Carolus & Fernandus duo inter ceteros nostræ ætatis principes ueluti quædã candidissima sidera. In quibus modo quãuis teneris, is animus, ea uirtus resplendet, ut & nos & ceteri mortales omnes nihil dubitemus, conaturos illos

ut etiam uirtute sua maiorum gloriam sint amplificaturi, si modo quidquam restat, quod ad eorum uel laudem uel splendorem accedere potest, neque enim fieri potest, ut Euripides aiebat, ut qui optimis fortissimisque parentibus nascerentur, quia & ipsi tales euadant, sed his alio loco sua preconia, suum Panegyricum dicemus. Ad te Mariam properandum est, quæ quoque illa propagine nobilissima, simul cum Leonora, Isabella, & Catharina prole illustrissima suscepta es, quam rem si quisquam secum ponderarit, te tanto natalium splendore ortam, ob id uel solum te colat obseruet, suspiciatque necessum est, & uere beatam, si modo mortalis esse potest, existimet. Nam quæ sis Philippi potentissimi regis, & Ioannæ reginæ splendidissimæ filia, ac neptis ex matre Fernandi gloriosissimi Aragonum regis, ex patre uero diui Maximiliani mundi domini utriusque quidem adhuc superstitis, quæ quoque abauum habeas, & ipsum Caesarem FRidericum, praeiis omnibus probitate cæterisque uirtutibus longe superiorē, rara hæc est, inaudita & stupenda res, neque enim maior nobilitas sub sole, ne dicam inueniri, sed ne quidem fingi potest. Sed age quid illud: quo loco: qua parte felicitatis reponendum: quæ quoque sponsa sis meritissima tamē LVdouici Ungariæ Bohemiarumque Regis serenissimi, gentis oppulētissimæ, & simul bellicosissimæ, late dominatoris, ac eius quidem quæ ueluti quoddam intemurale ac propugnaculum, sauisissimorum Turcarum impetui sese fortiter opponit, nosque & sacratissimam nostram religionem constantissime ab illorum iniuriis & incursionibus defendat. Sunt hæc quidem magna, rara & splendidissima in te fortunæ munera decoramentaque, quæ tu tamen tanto admirabiliora in te reddis,

quæ non contenta, tanta generis amplitudine, conaris quantum per ætatem licet, uirtutibus propriis splendescere. cogitas forsitan sub tenello pectore, sed sensu admodum præmature, in tanta tuorum heroum gloria, turpe uideri posse, si non & tu his artibus, his uirtutibus, te conspicuam reddas omnibus, quæ ad puellaris ætatis summam laudem attinet in qua cum in primis desiderari soleant, uita innocentia, castitas, pudicitia, temperantia, modestia, tu omnium quæ uiuunt innocētissima, castissima, pudicissima, temperantissima, modestissima, quæ quauis in omnibus mortalibus ornamenta sunt splendida, salutiferaque, in his tamen maxime nitent, qui quemadmodum & tu, aliquo excelsio loco siti sunt, quorum nec dictum nec factum ullum uel minimū, ut Crispus aiebat, latere potest. Horum in te admirationem, non mediocriter augent, corporis bona pulcherrima, quæ ita adamulsum tibi a supis cessere, ut nihil præteritū sit, quod uel addi uel desiderari queat, est etenim tibi in ore & uultu eximia quædam gratia, oculorum ille fulgor, ut maiorum tuorum uestigia in illis hæere uideantur, & quendam nitidissimum splendorem perfundere, sic tota aspectu uenerabilis es, membra ita decora habes, is nitor ea pulchritudo, in te conspicitur ut a gratiis quas Græci Charites uocant, formata iure puteris, & ut omnia quæ sparsim multisque dici possunt cōplectar, tanta uenustate prædita es, ut qui te diligētius conspiciatur, non mortalem hominem, non terrenū, sed quædam diuinæ formositatis imaginem, se uidisse fateantur. Hæc omnia & si fluxa caduca atque cum corpore sint abitura, mirum tamen mortalibus in omnibus rebus agendis & gratiam & auctoritatem præbere solent, ut & recte & scite a Pacato dictū sit,

uirtuti formam suffragium addere, ac Poeta maximus ut
 cætera ita & hoc elegatissime cecinit, gratior est pulchro
 ueniens e corpore uirtus, hæ tuæ dotes sunt, hæc bona,
 hæc munera, quibus, licet tenella, hoc tamen consecuta
 uideris, ut ueluti quidã Magnes omniũ hominũ animos
 in tui amorem studium & uenerationẽ rapias, usq; adeo
 quidem ut fateamur ingenue, nobis incredibilis plaufus
 materiam cõcessam esse, ac diutissime concedi speramus.
 Sed interea illustrissima princeps, hunc literatissimũ or/
 dinem, Rectorem nostrum magnificum & eruditione &
 probitate nulli secundũ, Doctores in omnigena profes/
 sione primarios, ac simul totum Gymnasiũ tuã clemẽtiã
 commendo, & qua possum pectoris sinceritate, cõmuni
 omniũ istorum nomine oro, id in tuam protectionẽ susci/
 pias, ut quemadmodum a tuis maioribus, illustrissimis
 Austria principibus institutum est, ac pro precipuo or/
 namento patriã, sed quid patriã immo uniuersã Christi/
 anã religionis, reputatum, ac in summa ueneratione, ab
 iisdem habitum sit, ita tu fide qua potes (potes autẽ plu/
 rimũ) beneuolẽtia et amore hoc psequare, qua tandẽ fidu/
 cia suffulti, commodius, inter optima litterarũ studia, ad
 quã designati sumus, æuum nostrum transigamus. Idq;
 aliquãdo præstemus, qd̃ multi ex hac literatissima turba
 molitũtur, ut maxima & splẽdidissima Austria principũ
 facta, imprimis tui serenissimi parentis & itidem aui diui
 MAXIMiliani Imperatoris inuictissimi, ab interitu (id
 quod nostrũ aurum est, nostrã gemmã, nostra munera)
 uendicemus.

Dixi.

AD ILLUSTRISSIMAM MARIAM.
 Sebastiani Bunderlii Carmen.

Accipe, quod nuper tenui deduximus orsu
 Gaudia & hæc oculis aspice nostra tuis.
 Quã licet exiguo (quis enim?) sint ore relata
 Sume tamen facili maxima nympha manu.
 Aethera sic genitor teneat, reddatq; tonantem
 Propicium patri pignoribusq; suis.
 Sic auus Euboicos cineres, inuictus adaquet
 Et stent auspiciis maxima regna suis.
 Sic sint incolumes fratres, cum matre uirago
 Quã gerit inuicta maxima bella manu.
 Sicq; tibi MARIA LVDuicum cernere sponsum
 Regina regem numina quãso sinant.
 Sic Lucina tibi faueat, sic prole beati
 Este, nec intereant stemmata uestra rogo.

Habita Oratio decimosexto Kalen. Iulias. Gymnasii
 moderatore GEorgio Prenner Põtificii Iuris
 Doctore clarissimo.

ANNO M. D. XIII.

Hieronymus Vietor. Ioãnes Singrenius imprimebãt.